

142. *Secus est, si legitime impeditus, vel ex alia causa rationabili id amittit.* — Ex quo bene inferitur illud, de quo alii controvertunt videlicet vasallo post annum et diem investituram non petenti competere moram purgandi se, hoc ipso, quod pœnam caducitatis non incurrat, si causam vel legitimum impedimentum habet, de quo an habeat, utique audiri debet, ut allegare et probare valeat, prout in simili supra tit. XVIII. de Locat. et conduct. n. 202. et 203. diximus, et docet Clarus, § Feudum. q. 49. contra Baldum et Schraderum.

143. *Milites ad petendam investituram habent annum et mensem. Impuberes ob neglectam non amittunt feudum, bene tamen minores.* — Militibus ex speciali juris privilegio etiam absque alia legitima causa conceditur annus et mensis ad petendam investituram, lib. I. Feud. tit. XXII. Impuberes autem, id est, annum decimum quartum non habentes omnino liberi sunt a pœnis privationis ob non petitam investituram incurrenda, non obstante, quod tutores habeant, § Feudum, q. 49. n. 4; Engel, h. t. 44. cum communi aliorum, arg. lib. II. Feud. tit. XXVI. § Si minori. Verum, « si quis in infeudatus major quatuordecim annis sua incuria vel negligentia per annum et diem non steterit, quod feudi investituram a proprio domino non petierit, transacto hoc spatio feudum amittat et feudum ad dominum redeat, » statuitur lib. II. tit. LV.

144. *Quibus tamen competit restitutio in integrum.* — Advertit tamen Glossa, in cit. lib. II. tit. LV. § Præsterea, et sequitur Clarus, loc. cit. n. 5; Engel, et communis, investituram debito tempore petere, negligenti minori competere beneficium restitutionis in integrum. Ratio est, quia hoc beneficium de jure minoribus est concessum, lib. Feud. tit. XXII. totoque tit. ff. de Minoribus. et jure feudali non reperitur ademptum. Idem dic de aliis beneficio restitutionis in integrum gaudentibus. Nec dicas restitutionem in integrum non procedere in delictis, quale est negligere investituram, lib. II. Feud. tit. XXIV. ubi omissio petitionis vitium ingratitudinis dicitur, ergo. Resp. enim antecedens esse verum de vitis quæ dolose committendo, non vero de iis quæ culpabiliter omittendo fiunt, prout dictum est lib. I, tit. XLI, § 4, n. 102.

145. *Dominus finito anno et die admittens vasallum ad servitia feudalia, censetur remi-*

sisse pœnam. — Illud etiam advertendum, quod si dominus vasallum intra annum et diem etiam absque legitima causa investituram non petentem nihilominus ad debita servitia feudalia admittat, hoc ipso juri suo renuntiasset, et injuriam remisisse censetur, Clarus, q. 49. n. 10; Engel, h. t. n. 44; Præpositus, Afflictus, Socinus, et communis aliorum.

146. *Feudum ob neglectam investituram amissum ad dominum, non ad agnatos, redit.* — Porro utrum feudum ob non petitam investituram amissum revertatur ad dominum, vel ad agnatos, magna iterum controversia est inter doctores quæ tamen eodem modo, quo illa, quæ, n. 133. et seqq. habetur, resolvitur: tum ob argumenta ibidem posita: tum ob specialia jura lib. II. Feud. tit. LV. ibi: « Transacto spatio ad dominum redeat; » tum etiam, quia investituram petere omit- tens, vitium ingratitudinis contra dominum committere dicitur, lib. II. Feud. tit. XXIV. ibi: « Tanquam ingratus existens beneficium amittit; » ob vitium autem in personam commissum, si amittitur feudum, ad dominum, non ad agnatos, redit, cit. lib. II. tit. XXIV. § Denique. Fachin., l. VII. cap. XXV. citans plures alios, solvensque argumenta in contrarium.

147. *Per renuntiationem etiam amittitur feudum, quæ renuntiatio fieri potest.* — Tertio amittitur feudum per refutationem seu renuntiationem sive resignationem, lib. II. Feud. tit. XXXVIII. Est autem feudi renuntiatio duplex, propria nempe, et impropria. illa est, qua vasallus feudum resignat domino suo. Hæc vero, quia illud resignat agnato vel extraneo. Controvertant doctores, an et qualiter possit vasallus refutare feudum, præsertim, an sine consensu domini, et cui refutare possit? Ad quod communiter cum distinctione ita respondetur, videlicet, quod feudum novum etiam absque consensu domini licite et valide resignare vasallus possit ipsi domino, vel illi, qui alias post mortem vasalli resignantis succederet, arg. cit. lib. II. tit. XXXVIII. ibi: « Vasallus etiam sine domini voluntate recte feudum refutare potest. Post refutationem tamen ad servendum non tenetur: sed eum quidem tunc offendere non debet. » Ratio est, quia feudum habet rationem beneficii, et principaliter ut favor vasalli consideratur, lib. II. Feud. tit. XXIII. Favori autem suo renuntiare quisvis potest; « Cum sit regula juris antiqui,

omnes licentiam habere, his, quæ pro se introducta sunt, renuntiare, » l. Si quis. 29. c. de Pactis.

148. *Si abest fraus.* — Notat tamen bene Mynsinger, cent. 5. observ. 65; Engel, h. t. n. 45, et communis aliorum, quod hujusmodi refutatio invito domino fieri non possit in fraudem, ut si perceptis prius totius anni fructibus, tunc primum resignare vellet, quando dominus iturus ad bellum opera et servitiis vasalli maxime indigeret. Hac enim ratione deterrima esset conditio domini.

149. *Illi qui alias succederet, potest absque consensu domini resignari feudum novum.* — Cæterum, quod novum feudum etiam absque domini consensu possit illi quoque renuntiare, qui eidem alias succederet, patet ex dictis supra n. 121. Extraneo tamen feudum nec novum nec antiquum absque consensu domini renuntiare potest; eo quod talis refutatio vera alienatio esset, quæ absque consensu domini fieri nequit, juxta dicta n. 149.

150. *Et antiquum non item extraneo.* Imo feudum antiquum nec domino, vel extraneo cum consensu domini renuntiare potest; nisi et agnati consentienti. — Feudum antiquum etiam absque consensu domini resignari potest proximo agnato, arg. lib. I. Feud. tit. XIII. § fin. non item extraneo sine consensu domini et agnatorum. Imo nec domino sine consensu agnatorum: quamvis enim resignatio feudi antiqui sine consensu agnatorum domino facta, vel cum consensu domini facta extraneo teneat, quandiu vasallus talis vivit, tamen eo mortuo redit ad proximos agnatos, æque ac si non resignasset per jura et rationes supra n. 126. allegatas.

151. *Ob feloniam amittitur feudum. Felonia quid?* — Quarto amittitur feudum ob commissam feloniam, circa quam notandum Feloniam esse terminum feudalem, qui delictum vasalli feudum feudo privans significat, lib. II. Feud. tit. XXXVII. Hujusmodi delicta sunt in triplici differentia. Alia enim directe in dominum committuntur: alia indirecte eundem offendunt; et aliqua, quæ nec indirecte dominum tangunt, quia tamen multum infamant, ita ut vasallus in curia domini cum aliis honeste stare non possit, feudo etiam privant.

152. *Delicta recensentur, ob quæ vasallus privatur feudo, et duobus.* — Delicta dominum directum tangentia, ob quæ amittitur feudum, sunt, si Vasallus violentas manus domino injiciat, aut contra eum gladium strin-

gat, etiam vulnere non secuto: si veneno aut alio modo insidias domino struat: si foedus cum hostibus domini ineat: si domum vel castrum, aut alia domini bona vi aggrediat: si dominum absque jussu magistratus criminaliter accuset, aut famosa aliqua actione pulset: item si in simili causa testem, vel advocatum contra dominum agat: si dominum ipsum, vel feudum abneget: si domini arcana dolose revelet: si debita servitia ei denegat: si eum in acie deserat, et tandem universaliter, si aliquam quacumque tandem gravem injuriam aut læsionem in bonis corporis, famæ, vel fortunæ domino inferat, etc.

153. *Delicta dominum indirecte offendentia sunt, si vasallus cum uxore domini, vel cum nepte, aut nuru, vel cum sorore domini, dum ea in familia domini est, commisceatur, aut id facere attentet: item, si aliquid scienter committit, quod in gravem aliquam injuriam personarum ad dominum specialiter spectantium redundat; jurat namque vasallus l. II. Feud. tit. VII: « Nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertineat ad tuam, vel tuorum injuriam, vel contumeliam. » Quo etiam pertinet, si vasallus subditos nimis crudeliter tractet, aut nimium emungat vel gravet.*

154. *Delicta nec directe nec indirecte dominum tangentia sunt parricidium, latrocinium, crimen læsæ majestatis, et alia quæcumque crimina gravem juris infamiam inferentia, ita ut vasallus honeste stare in curia non possit.* Quæ triplicis generis delicta quod feudo privent, videre est, Feud. lib. I. tit. V. XVII. et XXI. item lib. II. tit. III. V. VI. VII. XIV. XVII. § fin. tit. XXVI. § Si vasallus. tit. XXXVII. et apud doctores communiter.

155. *Feudum novum, ob debitum amissum, devolvitur ad dominum. Antiquum vero ad proximos agnatos, si delictum tale est, quo dominus nec directe, nec indirecte offensus est.* — Ad quem autem feudum, quod vasallus ob delictum amittit, devolvatur, non modica est controversia inter doctores, qui tamen in hoc conveniunt, quod feudum novum indubitate devolvatur ad dominum, quodcumque tandem ex recensitis delictum committat vasallus: item conveniunt, quod si delictum nec directe, nec indirecte dominum tangat, feudum antiquum non ad dominum, sed ad agnatos devolvatur, lib. II. Feud. tit. XXIV. § Denique; « Si vero non in dominum, sed alias graviter deliquerit, vel grave quid com-

miserit, et feudum amittit, et non ad dominum, sed ad proximos pertinet. » Concordat textus, lib. VII. tit. XXXVII. Excipit Fachin filios, utpote ad quos feudum ob delictum vasalli amissum, nunquam transire docet l. VII. cap. xxiii. arg. l. II. *Feud.* tit. XXXI. ibi: « Vasalli feudum delinquentis licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit. » Ratio est, quia filiorum cum parte delinquente major est conjunctio, indeque magis adesse praesumitur periculum, nec cum sanguine etiam paternam malitiam participant, arg. l. *Quisquis.* 5. § 1. c. *Ad leg. Jul. Majestatis.*

156. *Si vero per delictum ipse dominus offendatur, feudum etiam antiquum ad dominum perpetuo redit.* — Si vero delictum dominum tangit, volunt aliqui feudum antiquum etiam ad agnatos, et non ad dominum reverti: alii e contra docent illud ad dominum non quidem perpetuo, sed quando vivit delinquens, redire. Probabilior tamen ac communior docet feudum ob tale delictum ad dominum perpetuo devolvi: quae sententia profecto claros pro se habet textus, praesertim l. II. *Feud.* tit. XXIV. § *Denique.* ubi ipsissima haec controversia proponitur, et ita solvitur: « Siquidem vasallus ita in dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad dominum beneficium revertatur, ut hanc saltem habeat suae injuriae ultionem: si vero non in dominum, sed alias graviter deliquerit et feudum amittit et non ad dominum, sed ad proximos pertinet. » Idem habetur eod. lib. tit. XXXVII. ibi: « Cum autem dominum respicit feloniam, feudum tunc domino aperitur. »

157. *Nisi feudum sit annexum dignitati ecclesiasticae; hoc enim non nisi ad vitam delinquentis ad dominum devolvitur, et postea ad successores ecclesiasticos redit.* — Limitatur nihilominus haec sententia in feudis, quae dignitati ecclesiasticae sunt annexa; enimvero si praelatus eam possidens, unum ex recensitis delictis committit, amittit quidem feudum quoad fructus et redditus, quando vivit, vel in dignitate est, eo vero mortuo, deposito aut resignante, feudum a domino iterum redit ad Ecclesiam, vel successorem in praelatura, ob specialem juris dispositionem, lib. II. *Feud.* tit. XL. § *Item.* ibi: « Item si clericus, veluti episcopus, vel abbas beneficium habens a rege datum non solummodo personae, sed Ecclesiae, ipsum propter suam culpam perdat, eo vivente, et ecclesiasticum

beneficium, vel honorem habente, ad regem pertineat. Post mortem vero ejus ad successorem revertatur. Ratio est; « quia delictum personae non debet in Ecclesiae detrimentum redundare, » reg. 76, jur. in 6.

158. *Si feudum ad praelatum et capitulum simul pertinet, privatur pars peccans pro sua parte sine praedjudicio alterius innocentis.* — Quod si vero feudum non ad solam mensam praelati, sed ad praelatum, et capitulum simul pertineret, et solus praelatus delinqueret, non totum feudum, sed ex parte tantum, proportionaliter nempe amitteretur; nam ut dicitur l. *Sancimus.* 22. c. *de Poenis:* « Peccata suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperitur delictum. » Ob quam rationem si solum peccaret capitulum, pariter non praedjudicaret praelato, sed privaretur sua parte feudi capitulum, quando membra talia viverent, iisque mortuis rediret ad successores. Utroque autem tam capitulo quam praelato delinquente totum feudum quoad fructus ad dominum, mortuis vero delinquentibus ad successores praelati et capituli rediret, arg. cit. lib. II. tit. XL. et *Reg. jur.* LXXVI. in 6. docente Pirhing, h. t. n. 14; Rosenthal, c. X. *de Feud.*, concl. 3; Layman, et alii.

159. *Feudum fit domino apertum, quando nullus amplius existit haeres.* — Tandem amittitur, seu potius finitur, et extinguitur feudum, quando mortuo vasallo nullus extat amplius haeres, qui in feudo de jure succedere possit, *Feud.* lib. I. tit. XVIII et lib. II. tit. XV. Et in hoc casu feudum dicitur proprie domino apertum, seu fieri apertum domino: Germanice « falt dem Lehen-Herrn haimb: » e contra si ob delictum seu feloniam amittitur, dicitur fieri caducum, Germanice « wird vorworth. »

160. *Ad privandum possessione vasallum delinquentem requiritur sententia declaratoria judicis.* — Porro illud universaliter notandum, quod etsi ob feloniam commissam feudum ipso jure quoad dominium amittatur, seu fiat caducum, nihilominus quoad privationem possessionis requiratur sententia declaratoria judicis. Gailus, lib. II, observ. 51, n. 1; Mynsinger, cent. 6, observ. 77; Rosenthal, *de Feudis*, cap. x, concl. 3. et communis aliorum, arg. lib. I. *Feud.* tit. XXI. ibi: « Sancimus, ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat, si ex culpis iis, vel causis convictus non fuerit, etc. non amittit. » Idem expresse habetur in statutis

Bavariae, tit. XII. a. 6. ordinautibus, ut in casu sive aperturae, sive feloniam et caducitatis, feudum propria auctoritate non arripiat, sed expectet sententiam declaratoriam judicis, nisi forsitan feudum omnino esset vacuum, nullusque possessor illius adesset.

161. *Quis sit judex in materia feudali? Remissive.* — Quæritur V. Quis sit judex oriente lite in causa feudali? Resp. quaestioni huic esse satisfactum, l. II. tit. I. *de Judiciis.* § 5. n. 118. et seq. ubi videndum. Cæterum qui plura de amplissima materia feudali, de qua aliqui integros scripserunt tomos, desiderat, reperiet apud feudistas, praesertim Julium Clarum, § *Feudum*; Rosenthal, *de Feud.*; Fachin., lib. VII. per totum, Haunoldum tract. IX. c. v. et alios.

TITULUS XXI.

De Pignoribus et aliis Cautionibus

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Visum est hactenus de nonnullis contractibus, utpote speciebus alienationis: sequitur nunc de iis, quae contractibus ad majorem firmitatem, et contrahentium securitatem solent adhiberi, pignoribus nempe et cautionibus. De quibus sit

§ I.

DE NATURA AC DIVISIONE PIGNORIS.

2. *Varia acceptio pignoris.* — Quæritur I. Quid sit pignus? an et quomodo differat ab hypotheca? Ante responsionem notandum *Pignus* subinde accipi pro re ipsa oppignorata, seu quae in pignus datur, uti patet ex totis ferme titulis ff. et c. *de Distractione pignorum.* Subinde pro ipso jure, quod creditor in re oppignorata habet, totis titulis ff. et c. *Qui potiores in pignore.* Subinde pro ipso contractu, seu conventionione, qua res alteri securitatis gratia datur, vel obligatur l. I. § fin. ff. *de Pactis*, ibi: « Conventiones pleuraeque in aliud nomen transeunt: veluti in emptionem, locationem, *Pignus*, » etc. Sumendo itaque pignus in hac ultima acceptione;

3. *Pignoris definitio.* — Resp. I. Pignus est conventio tacita vel expressa, qua res alteri

interim datur, vel obligatur in securitatem debiti; ut, si aliunde eidem non satisfaceret, inde satisfactionem habere possit. Ita in re communis. Solum notandum verba *tacita* vel *expressa* ideo esse addita, ut tam tacitum, quam expressum pignus, quod juxta dicenda datur, in definitione comprehendatur. Cæterum colligitur ex data definitione finis pignorum, videlicet major securitas creditorum, seu eorum, qui alios sibi obligatos habent: nam ut dicitur § *Unde constat.* 14. *Instit. de Obligat.* « quae ex delictis etiamsi idoneum debitorem habeat. Quia expedit Pignori potius incumbere, quam in personam agere. Et plus cautionis in rem est, quam in personam. » Reg. 26. ff. *de Reg. Jur.*

4. *Pignus et hypotheca large conveniunt, proprie differunt.* — Resp. II. Quamvis pignus et hypotheca tam a doctoribus, quam a jure persæpe confundantur, nulla nisi nominis distinctione inter utrumque admissa l. *Res.* 5. § 1. ff. h. t. « Inter pignus autem, et hypothecam, tantum nominis sonus differt. » Nihilominus stricte ac proprie loquendo, aliqua est differentia, quam aliqui in hoc consistere dicunt, quod Pignus sit circa res mobiles, hypotheca vero circa immobiles, arg. l. *Plebs.* 237. § *Pignus.* 2. ff. *de V. S.* ibi: « Pignus appellatum est a pugno; nam res, quae pignori dantur, manu traduntur: unde etiam videri potest verum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui. » Verum haec differentia, quam aliqui putando (ut loquitur textus) assignant, non usque adeo in jure subsistit: etsi enim plerumque et ordinarie pignus in re mobili constituitur, indeque a pugno, seu manu, qua res mobilis in pignus datur, suam derivationem habeat cit. lib. CCXXXVII. ff. *de V. S.* Nihilominus hoc adeo universaliter non procedit, quin res immobilis pro pignore proprie tali, dummodo actualiter tradatur, de jure servire possit, arg. l. II. § fin. *de Religios. et sumpt. fun.* ibi: « Is, qui Pignori dedit agrum. »

5. *Assignatur proprie differentia inter illa.* — Hinc alia, et quidem melior differentia inter pignus et hypothecam communiter assignatur haec, quod quando res a debitore creditori pro securitate actualiter traditur, donec ei debitum solvatur, sit proprie pignus: hypotheca vero, quando nuda conventionione res aliqua alteri obligatur, absque hoc, quod eidem actualiter tradatur vel